



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum principis, eiusque Svccessorvm
Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basileae], März 1550

VD16 VD16 K 2586

Tamerlanus Parthus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97854](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97854)

Quam cum aliquandiu populando uexandoq; territasset, fugatis passim hostibus, non Damasco modo urbe, sed & omni prouincia, & deinde Aegypto pari fortuna potitur.

Succelsibus istis inebriatus, cum prosperos semper euentus belli sibi fore crederet, & Persiam suspectam haberet, animo cum Persis belligerandi, spe etiam eos ut prius Arabas, Syrios, atq; Aegyptios perdomandi, iter in Persiam conuertit.

Cuius fines incurfare uix dum coeperat, ecce Cosroes rex ex aduerso ingentem Persarum manum in expeditionem educit. Congreditur actutum: signa uiriliter conferuntur: cadunt utrinq; non pauci. Mahummedes denique uulnere in facie accepto, uertere terga, seseq; in fugam dare cogitur.

Moritur paulo post Cosroes. In cuius locum successit Syrochis, uita post anni spacium excedit, relicto in successorem Adhifere filio. Sed & hunc continuo mors occupat: quare populus Harmisdam sibi in principem elegit.

Contra quem Mahummedes, accessione Arabum Saracenorum, (qui uulgo Scenitæ, hoc est grassatores populatores uel dicti, nuper ob stipendia ab Heraclio Cæsare denegata, Romanos deseruerant) fortior in Persiam reuertitur.

Stetit ex altera parte in procinctu Harmisdas: atque ut à longiore progressu hostem arceret, prælio excipere sine mora uoluit. In quo fulis fugatisq; suis ipse occiditur.

Victor Mahummedes nullo postea discrimine Persiæ regno potitur, ac demum quas Arabibus antè, Syrijs, Aegyptijs, leges Persis imposuit.

Regnauit deinde sexennium: quo exacto, ueneno tollitur ab uno familiarium Gardigenæ uxoris propinquo. Vixit annos quadraginta (sunt qui triginta quatuor dicant, alij triginta septem.) Discessit è uita post Christum sexcentesimo tricesimo octauo: iacet in Mecha Persiæ sepultus, ubi etiamnum hodie sepulchrum eius apparet.

DE TAMERLANIS PARTHI
REBUS GESTIS.



Amerlanes Parthus natione, genere obscurus, in gladiatorium ludum ab ineunte pubertate à parentibus missus, armis egregie tractandis ea uigilantia incubuit, ut pauculo etiam tempore cæteris longè superatis, cognitu difficile reliquerit utro magis, corporis ne uiribus, an dexteritate usu comparata, aut etiã astu atq; ferendi industria ualeret. Ea exercitatio strenuo adolescenti tantam disciplinæ militaris opinionem, famam nominis ac gratiam apud omnes armorum studiosos peperit, ut infinita prope hominum omnis ætatis multitudo, ad illum tanquam ad consummatissimum gladiatoris artis præceptorem, cum pascendorum oculorum, tum præcipue imitationis causa conflueret. Quorum conciliatis animis, & eorum præsertim qui militiam colebant: haud multis interiectis annis effectum est, ut ipse potentissimi equitum ac peditum ultro sequentium exercitus dux maneret. Sed accidit per id tempus, ut regnum Parthorum à Saracenis occupatum, longa seruitutis patientia languesceret: cunctis quidem ægreferentibus, talibus se dominis obnoxios esse, sed tamen nullo ijs malis uerberum

uerberum metu, aut uinculorum aut mortis, aduersum ire audente. Tamerlanes hac morum in dignitate, nec non pietate erga patriam cōmotus, (erat hic quidem titulus cōscribendi agminis, re autem uera apprehendendæ tyrannidis accendebatur occulta libidine) cœpit paulatim nouis editis uirtutibus ac liberalitate, prout facultates erant, numerum suorum adaugere. Quæ ratione, cum uires suas ad Barbaros exigendos, recuperandumq; regnum satis magnas esse arbitraretur: repente Sarracenos inopinantes aggressus, exterminatis illis, dominium Parthorum in se transtulit. Hac fortunæ beneficentia cum nihilo quidem segnior, sed alioqui multo ambitiosior euasisset, bellum inferre finitimis instituit. Nec institutum res morata: quippe factio in nihil tale suspicantes impetu, eos nullo propè negotio edomuit. Ex talibus uictoribus cum semper aliquid nouarum uirtutum ad pristinum robur accederet, & ideo potentior ipse ad populum proximum ips quos subiugarat perueniret, annis admodum paucis Asiaticos, Scythas, Iberiam, Albaniam, Persas, Assyrios, Medos, in suam potestatem redegit. Postremò subacta Mesopotamia, atq; Armenia maiore superata, traiecto etiã Euphrate amne, anno à CHRISTO nato circiter millesimo trecentesimo nonagesimo, Caroli sexti Francorū regis decimo, cū quadringentis equitū millibus & sexcentis peditum conscripta passim multitudine, in Asiam minorē terribilis irrupit. De cuius irruptione certior factus Baiazethes, rex eius regionis, origine Turcus, ut Parthum à suo regno arceret, in tempore cū paratissimis copijs obuiam illi ad terminos usq; Armeniæ processit. Nec terrore aut auocamēto fuit, quòd se hoste suo numero militum multo esse inferiore intelligeret: sed animosior eum reddebat eximia in opprimendis inimicis Turcarum uirtus ac industria, multis iandudum certaminibus explorata, & innumeros à paucioribus aliquando fusos fugatosq; meminerat: atq; ad eò fortunam esse bellorum deam ac dominam, quæ infirmiori frequenter potentiorē subiicit. Quare hostem nihil ueritus, cum nusquam prius sibi quiescendum esse crederet, quàm in eum militem suum impulisset, breuè ad Stellam montem, qui in Ciliciæ Bithyniæq; confinio est, peruenit: & ibidem ubi olim Mithridates & Pompeius signa cōtulerant, aciem suã Partho opposuit. Collocatis ex aduerso Imperatoribus, Tamerlanes extemplo, ut erat acer, suos pugnam capessere iubet. Incitat & suos Baiazethes, & hortatur ut alacriter dimicent. conclamatur utrinq; concurritur animis infensissimis. Tractio in maiorem partem diei prælio, cadentibus assidue ex utrisq; quã plurimis, & caelis penè infinitis, ea nihilominus fœuitia ac constantia pugnabatur, ut neutro principum cedente alteri, quò inclinaret uictoria, iudicatu foret difficile. Ad extremum Turci resistendi lassitudine deficientes, & cæde plurimū diminuti, cum duros Parthorum impetus sustinere amplius nō possent, nouis continuo Parthis in fessorum locum ex abundantissimo adhuc numero succedentibus, nec haberent ipsi unde simile efficerent, dabant operam primò, ut minori uitæ periculo seruatis ordinibus pugnae se subtraherent. Sed Tamerlanes deprehensa tergi uersatione, euestigio turmas emittit, eo furore ac uiolentia subsequentes, ut rupti ac dissipati ducentis penè millibus caelis, concessa hostibus uictoria, Turci fugam caperent. At Baiazethes munia nunc strenui Imperatoris, nunc generosi militis obeundo, ut qui nihil nō aduersante fortuna tentandum putaret, & iam mortem ut suam ulcisceretur, non uictoriam quaereret, laboraret: cædendo sternendoq; omnia, equo ad ultimum præcipitatus,

tatus capitur, & uiuus ad Tamerlanē pertrahitur. Qui quidem statim captiuū in uincula principem conijci imperat: catenatū demum, dilapsus in Asiam, ijs quibus dudum imperabat deuictis gentibus ludibrio exhibet. Facinus spectaculo indignū, & Tamerlane, si hominis meminisset. Sed multo indignius est quod de eo in eiusdem immanitatis cōtinuatione traditur. Enimuerō ferunt Baiazethem eo quo supra habitū, ex mandato uictoris quoties epulabatur ipse, infra mensam quasi canem subligatū cibari consueuisse. Et in equum ascensuro, pronum, ac ad pedes procumbentē, scamni loco fuisse. Quod feritatis exemplum, captiuus reliquū uitæ pertulit. Tamerlanes porrō subiugata, direptaq; ad Nilū

1^o Asia, & expugnatis Smyrna, Antiochia, Sebastia, Tripoli, Damasco, atq; alijs plerisq; ciuitatibus, confectis ad unū habitatoribus, eas populatus est, & populas solo æquauit. Inuasit deinde in Aegyptum, ac fuis sapius Sultani copijs, ipsum in fugā uersum ultra Pelusium coegit. Quo ad persequendū fugientem cum transmittere instituisset: reuocatur annonæ inopia, & per solitudines arenosaq; loca pascendi innumeris exercitus difficultate. Omnibus magnæ admirationi fuit ordo eius ac militaris disciplina: quippe ea illum prudentia suis præfuisse affirmant, ut ubi ubi castra posuisset, ibi nihil nō omnis artificij generis esset reperire, haud secus quàm in oppido quouis munitissimo. Nā in castra metando designabat singulis, prout cuiusq; ars erat, certa loca, e quibus, tanquā e penu, capi omnia poterant. Ideoq; affluebant illic res semper, cōmodante ad id Imperatoris assidua seueritate: qui nihil perperam fieri, neminē uiolari, a nullo aliquid præter uoluntatem, ne minimū quidem olus auferri impunē permittebat. Eoq; cōsilio efficiebatur, ut uniuersa uicinia nō minori in hæc castra securitate, quàm in celebres nundinas merces suas eueheret & exponeret. Eadem Tamerlanis uirtus eō temperantiæ populū illū infinitū adduxit, ut inter tot capita nulla omnino seditio nasceretur, quasi omnia in uno Imperatoris capite essent comprehensa. Quid quod tot susceptis expeditionibus, tot commissis prælijs, tentata toties fortuna uictor semper extitit? Grata in primis ea illi cōsilia fuere, quorum euenta hominū iudicio dubia, & insperatę uictoriæ forent. Cuius rei documentū, aspera illa Damasci obsidio præbuit. Etenim expugnata Damasco, cum præsidium urbis in propugnaculū se proximum recepisset, idq; (etsi de oppressione nihil timeret, iudicantibus singulis locū esse inexpugnabilē) fastidito tamen prælio, cū seruari alia uia posset, signū deditionis ederet, & accipiendā continuo id genus conditionē cæteri Parthorū duces Imperatori suaderent, surdis ille auribus omnia prætermittens, in propugnaculi tantū expugnationē incumbebat. Cuius situm cum diligenter explorasset, quumq; præ nimia sublimitate murus nullis scalis superari posset, et nihilo secius id quacūq; industria expugnandum sibi constanter proponeret, molitur extemplo nouū e regione propugnaculum obfesso multo sublimius. E quo incusis die noctuq; frequētibus in hostem machinis, & occisione occisis ferē uniuersis, bona etiā parte muri deturbata, paucis tandē suorū impetū sustinentibus facile admittitur. Ad hæc admonitus Caphæ tum Genuensium colonia, sitę in Cherroneso Taurica haud procul Bosphoro Cimmerico, immensum esse aurum ac argentū, multis eius oppidanis negotiationem exercētibus, adiecto ad uim urbi inferendā animo, reputando secum periculo belli imminente auerti thesauros, infoditq; atq; omnino insidiantium uotis subtrahi facile posse: ut & muris potiretur et pecunia, nec quicquā triumphatorē præteriret, facit hanc fallaciā: Euocat ex optima sui populi parte negotiatorū numerū incredibilem, iubetq; adesse illos omni pellium preciosissimarum genere onustos. Præcipit deinde ut Caphæ mercem istiusmodi alioquin raram & ideo maxime uendibile futurā importent, & ad uendendū, etiā pauco,

uu ad allicien-

ad alliciendos incolas, & facilitatē permutandæ mercis, pecuniæq; ab illis comparandæ exponant. Dicitur ac factū est singulari utrinq; prudentia. Commercio uigilanter habito, & permutatione mercium exinanitis plurimum auro atq; argento Caphæ habitatoribus, omnia ea pecunia opulentior bellū urbi denunciat, & muro simul castra admouet. Qui undequaq; hostibus cinctus, & crebra machinarū infestatione passim excussus ac labans, Tamerlani oppidanos unā cum pellibus & thesaurorum reliquijs nō difficulter prodidit. Mos eius quo in obsidionibus semper usus est, peperit admirationem posteritati. nimirum quocumq; hostis aduenerat, mox sibi locum dedi postulabat, & eo ipso die candidis in tentorijs hospitabatur. Quod si eodem die gens obsessa deditionem faceret, seruabatur incolumis, intactis inuiolatisq; & hominibus & fortunis. Secunda lux continuo candida tentoria in rubra mutauerat: quo aut deditione, aut grauis afflictionis signo, si afflicti se dederent, singuli patres familias supplicio mortis affecti, hesternæ contumaciæ pœnas luebant. Tertia mutatio in nigra erat: a qua si uictoria potiretur, trucidatis ætatis cuiuscumq; ac sexus habitatoribus, & fortunis quibuslibet direptis aut dissipatis, subiecto præterea ædificijs igni, locum funditus excidebat. Huic obsidendi formulæ exemplum non defuit. Nam accidit inter hæc discrimina, ut & uiris & muris, & omni belli apparatu insigne oppidū à Tamerlane iam biduo oppugnatū, deditionē nihilominus, confidentia uirū internarū, in diem sequentē differret. Cuius oppidani cū de muris tantundem procidisse cernerēt, quantū irrupenti hosti sufficeret, & copias hostileis in procinctu adesse, ut introirēt: ea tam aduersa fortuna stupefacti, & perpetrati in non dedendo criminis fatis superq; memores, rati tamē Parthum haud adeo ab humanitate esse alienū quin aliquid de homine reliqui sibi fecisset, ad impetrandā eius misericordiā cōuertuntur. Itaq; precibus & lacrymis & humilitate, furias superbiamq; uictoris mitigatū iri cōfidentes, ingentē fœminarū ac puerorū multitudinē albo indutā, manibus oliuarū ramos, oblata publicæ fidei sponcione, prætendentē, & ueniā fletu supplicij exposcentem obuam mittunt. Vix dum oppido exeuntes prospexerat, cū turmas ferro inuenientes agi, & eos in discriminatim oppressos cōculcare, interfecare ac interficere iubet. Oppidū deinde post obuiorū confectionem depopulatus exulsit: tam fœda & implacabili erat iracūdia. Haud abs re igitur apud Ligurem negotiatorē amicū, qui in cōmuni colloquio feram eius in uictis multādis crudelitātē temere magis ac familiariter, quā prudenter accusabat, obuensis in eum flammātibus turbatisq; oculis, in hæc uerba prorupit, Si me hominem esse arbitrare, falleris: equidē ira dei sum, & ruina ac perniciēs hominū. Qui uiuū aliquādo obseruarūt equales, eū motu corporis & moribus Hannibali Carthaginienli, ut à maioribus descriptus est, simillimū fecere. Oderat in primis latrocinia, & ea in singulis seuerissimē uindicabat: ob id fortē, ut ipsi qui in piraticam publicā incumbebat, nemine alio, supplicij metu, latrocinante, orbis ex animo spoliandi facultas esset. Ad postremū, cū in sola tyrannidis occupatione summā fœlicitatē iam olim collocasset, omnē à bellis cessationē sibi uitio dabat, tempore suo se functū egregiē iudicans, quoties nouis aliquē molestijs interturbat. Subiugatis ea uia multis regibus, pluribus uictis satrapis, plurimis regionibus labefactatis, afflictis ad internecionē ciuitatibus innumeris, manubiarū in immensum diues, domū unā cum exercitu prædis & rapinis grauissimo regreditur. Condidit deinde apud suos Mercantē urbem, in quam familias, quas ē deuictis passim nationibus captas, simul cum rebus uniuersis eō relegarat, ad habitandum deduxit. Quarum etsi genere differrent, cōcordia, labore, atq; industria effœtus antea locus adeo germinauit, ut breui postea latissimē fruticesceret ac floreret: & Orienti deinceps clarissima